



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Qvod Ivdaeи Messiam, Qvi uenit, ceu uenturum, temere  
expectent**

**Samuel <Marochitanus>**

**Argentorati**

**VD16 S 1561**

Capvt IX. Quod duo sunt aduentus Christi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36159**

## PARASTASIS.

nus, et fecerunt nobis secundum prophetiam istam, hodie sunt  
mille anni et ultra, et nihilominus si in ira dei sumus, et  
tamen in ipso speramus. Et si dicamus quod Christus uen-  
turus est et non dum uenit, et rehabetimus terram promis-  
sionis, et reædificabimus ciuitatem, et habebimus gratiam  
dei et honorem in terra nostra, et ista desolatio non erit  
perpetua. Respondebunt Christiani, quod adhuc ergo ma-  
net nobis occisio Christi et aduentus Titi et populi Roma-  
ni, et desolatio peior ista in qua iam fuimus per mille an-  
nos. Heu domine non est excusatio nec euasio consona. Sed  
tamen quicquid contingat Dei sumus in omni casu, si in eo  
speramus.

### CAPUT IX.

Quod duo sunt aduentus Christi.

**T**imeo, domine mi, quod Christus iam uenit, et iam  
adiplexit primum aduentum suum, quia in scripturis no-  
stris inuenimus duplē eius aduentū. Primus adue-  
tus Christi describitur in Prophetis in paupertate et hu-  
militate. Secundus in gloria et maiestate. Et de utroq;  
aduentu proponā illa que mihi occurrūt. De primo ad-  
uentu dicit Deus per os Zacha. cap. ix. Letare filia Syon,  
ecce præceptor tuus uenit pauper, equitans asinum. Et in  
isto aduentu describit eum Isaías despectū. Daniel occisū.  
Zacharias et Amos uenditū, et tamen iam fuerunt co-  
pleta que in libello descripsi et describam, nō reputau-  
mus eum, id est, non cognouimus eum, sicut dixit Esaias  
Propheta, sed despximus eū et prævaluimus contra eū.

B      Sed

## VERI MESSIAE

Sed gloria eius & maiestas eius erit manifesta in secundo eius aduentu, quando ignis & flama præcedet eum, et ex ardescet & inflammabit in circuitu inimicos eius. Sicut dicit Deus per os prophetarū David & Isaiae. Et timeo, domine mi, quod Christus non iudicabit aliter quam cum igne ad mortem, quia nos interfecimus omnes Prophetas qui annunciauerūt nobis de ipso, prout Deus testificatur contra nos per os Heliae prophete quarto libro Regū. Et sic interfecimus illum iustum propter quem sumus in ira dei sine fine. Attamen Dei sumus.

### CAPVT X.

De primo aduentu Christi.

**T**imeo, domine mi, Deus describit aperte duos aduentus Christi, per os Esaiae prophetæ. lij. cap. cum dicit. Consurge, consurge, induere fortitudinem brachium domini. Bis dicens consurge, propter eius duplēcē aduentum. Et singillatim clare primum Christi describit aduentum quantum ad passionem et deiectionem cap. l. & liij. per totum. Et specialiter cum dicit. Vidimus eum & non erat aspectus & species, neq; decor &c. Primum eius aduentum ponit Esa. ix. cap. cum dicit. Parvulus natus est nobis. Et statim subiungit secundum eius aduentum cum dicit. Et vocabitur fortissimus gigas, potens, super thronum David sedebit, ut confirmet illum ab initio usq; in æternum. Zacharias autem propheta describit eū pauperem & sedētem super asinum cap. ix. Et quid aliud est hoc, nisi, quod Propheta describit primum aduentum in humilitate,